



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

Epistola Theophili Raynavdi Ad Serenissimvm Victorem Amedevn Cum ipsi notas in aliquot Patres dedicaret. Victori Amedeo, Serenissimo Regi Cypriorvm, Et Allobrogvm, Chalabasii, Avgvstæ, Gebenensii, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79561)



EPISTOLA THEOPHILI RAYNAVDI
AD SERENISSIMUM
VICTOREM AMEDEVUM

Cum ipsi notas in aliquot Patres dedicaret.

VICTORI AMEDEO,
SERENISSIMO REGI

CYPRIORVM, ET ALLOBROGVN,
CHALABASII, AVGVSTÆ, GEBENENSII, MONTISFERRATI,

DVCI MAXIMO;

SVBALPINORVM PRINCIPI POTENTISSIMO, &c.

ALEXANDROS, Constantinos, Carolos Magnos, eximios vtique tres Heroas bellicis, politicisque negotiis occupatissimos: tamen cum libris, etiam diuerso ab militia, politicaque argumento scriptis, haud mediocre commercium interposuisse, nouimus ex veterum historia. Ingenij scilicet ea erant amplitudine, vt vel de maximè reconditis nihil non perciperent: ea de omnibus doctrinis opinione, vt earum nullam ab se alienam putarent: ea indolis humanitate, vt tenuissimi cuiusque hominis de hoc genere munusculum minimè aspernarentur. Tu verò, REX SERENISSIME, vt istorum, sic cuiusque aliorum Monarcharum gerendis bellis animi magnitudinem; comprehendendis artium arcanis intelligentiæ præstantiam; coonestandis Litteratis, & literis naturæ insignem comitatem sic exæquas, vt benè multos eorum superes. Enimverò tametsi præcellentem excelsæ mentis generositatem ad vniuersa Regij fastigij munia, & decora, gentilis stirpis multa claritas illis infuderat: tibi tamen longè benigniore manu, & copiosiore modo Regij sanguinis tantò vetustius, & augustius stemma celestis cuiusdam originis has omnes naturæ dotes munificentius impertit. Itaque votiui cum volumine mihi ad REGIÆ TVÆ CELSITVDINIS conspectum, & pedes adspiranti, ope inuisitatæ machinæ nequaquam moliendus fuerit aditus; vt celeberrimo illi architecto ad Alexandrum Macedonem ex Satellitum inuidia olim aperiendus fuit.

RAYNAUDI

Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
A VII

EPISTOLA.

QVÆ EST enim tuæ indulgentiæ magnitudo, præfers ad omnium clientum istiusmodi vota sitientis quemdam habitum, & affectum: atque ut ille Persarum Rex cauis manibus in via offerenti aquam agricolæ, hilarem exporrigis frontem, & lubenti animo, ac cupienti etiam munus excipis. Nec ingenuæ, nec ingenitæ maiestatis, sed affectatæ, cuiusmodi est quorundam obscuri ortus Satraparum, certissima est nota, austerior omnia dedignantium fastus: ab vetusti contrà satus Regiis natalibus altiùs insitæ dignitatis indicium germanissimum est, multa oris, animi, sermonis, humanitas, & suauitas. Hunc Lydium lapidem perpetuò adhibuere cordati homines, diiudicandis certiore inter ipsos experientia, magnorum Principum familiis: atque hac interposita exploratoria cote deprehenderunt Sabaudiensium Ducum gentem, Regiarum multarum totius Europæ gentium facilè se prodere antiquissimam & nobilissimam. Quam periclitandæ, iudiciis haudquaquam fallentibus, Regiæ Nobilitatis artem, qui multo usu, & sagacitate sibi pararunt; ut nesciant Sabaudienfi Familiæ, ab initio ad hunc diem, quæritas esse tota Europa, cum omnibus Principibus, Regibus, Cæsaribus perpetuas affinitates, & cognationes: in ea tamen perseverarint sententia, quam indicauimus. Vbi autem compererint, purissimo sincerissimæ claritudinis Sabaudienfi sanguini affusum & admixtum tot cognationibus Regiarum stirpium, sanguineum item succum, & magis, ac magis insitum meræ nobilitatis germen: suum sibi tantò magis gratulabuntur iudicium, ac priori suffragio recentius adiciunt, tantò etiam luculentius. Deo equidem bonorum omnium maximo bono, quin & bonorum omnium Auctore magnificentissimo nihil nec esse, nec fingi potest munificentius, humanius, sui communicandi, immò & profundendi studiosius: adeoque germana hæc est diuinæ bonitatis nota, ut si quando possit Deum deficere, Deus tum mox esse desinat. Nihil porrò tota in rerum creaturarum vniuersitate Deo est similius, quàm boni Principes: in quibus uti vicariam suam potestatem consignauit Deus, ita suæ dignitatis insculpsit imaginem. Quorum autem Principum in animis diuinus ille character firmitus hæserit, & ad frugem vberius coa-luerit, ex hisce Principibus seligit propagines, quas Catholici orbis toto agro ad posteritatem conferat.

IAM VERO ex multiplici, ac planè celebri propagatione augustioris cuiuspiam gentis, in Regias variarum nationum familias, si quid decoris, ac splendoris potest efflorescere in commendationem foelicius disseminatæ stirpis hanc sanè laudem Sabaudienfis Regiæ Domus peculiarem esse, ac præcipuam, necessariò nos oportet asserere. Enimverò quinquagenas minimùm affinitates, cum Regibus, aut Reginis iniit hæc Domus: ac inde prognatis vtriusque liberis, totidem fermè cognationes extitere, quoad genus affinium, hinc inde perduraret. Quindecies item contractis matrimoniis cum Orientis & Occidentis Cæsaribus, ac interdum vtriusque datis & acceptis nuptiis, Cæsareum & Sabaudiensem sanguinem ac stirpem, aliis in alios transfuderunt, magna huiusce Familiæ gloria. Verumtamen id singulare accidit, iungenda cum Regibus & Reginis affinitate, ut collocatis apud Reges vxoribus de sua gente, quæ liberos ederent, vel Gal-

lis,

DEDICATORIA.

lis, vel Hispanis, vel Siculis, vel Britannis, vel Lusitanis, Reges sui fatus per
foeminas dederint, quindecies, ac semel per viros Cypriis. Peculiare item
illud contigit Familiæ Sabaudiorum Principum in Galliæ Regibus: vt &
Ludovicus eius nominis septimus, & qui ab eo ad hunc diem regnauere,
seu rectæ, seu laterariæ stirpis Francorum Reges, ij omnes oriundi sint ex
Adela Sabaudica Humberti secundi filia, Ludouici septimi matre, Ludo-
uici sexti coniuge. Et dubitabimus forsitan, quin Augustissima Sabaudien-
sum Principum natio, tota ex Cæsarum, ac Regum summis fastigiis con-
texta, & conflata, verissimè sit, & nomine, & fatu, & dignatione, & meri-
tis Regia: Et nunquid ego quoque ambigam, ne Regiæ Familiæ tam excel-
sa maiestas, & mihi, & meo volumini, tenuioris notæ aduenis, occludat
Taurinensis Palatii fores: Haudquaquam poenitet pronuntiata paulo antè
sententiæ, de hominum toto genere, modestiores & comiores nullos esse pe-
nitentis, quam qui sanguine, & animo sint planè Regio. Cuius pronuntiati ve-
ritas, vt forsitan dubia esse possit in aliquot aliis Principum stirpibus: tamen
asseuerare non verear, in Sabaudienfi gente semper ad hunc diem fuisse cer-
tissimam.

HAC IGITUR veritate fretus, REX SERENISSIME, ausim con-
fidere, huic nostro codici ad te non laboriosum fore aditum: vt enim nec
mei, nec lucubrationum in eo mearum, vlla sit habenda ratio, certè confla-
tus est ex aliquot scriptis clarorum suo in genere hominum; & eorum qui-
dem, qui tua in ditione floruerint, ac dignatione profectò non vulgari;
MAXIMVS TAVRINENSIS, VALERIANVS CEMELIENSIS, AMEDEVS
LAUSANENSIS: qui homines apud te, quo loco habendi sint, tu ipse vides,
vt nemo te admoneat. Huiusce autem gradus ac meriti viros perquam ido-
neos ratus sum, & meritò futuros mei apud te alieni æris obsides ac prædes:
quo ære necesse est funditus obruar, nisi eorum me insignis apud te suble-
uet gratia. Tantò autem faciliùs subleuabit, ac efficacius, cum illi asse-
rent, te tua, te auorum potentia & aequitate, nihil solere congruentius face-
re, quàm vt monstrosis ac malignis vexatos machinationibus tuo patroc-
nio foueas, & omni eximas periculo. Idem quoque tibi confirmabunt, vt
tuum erga me beneficium sit eiusmodi, quo maius esse nequeat: Ita omni-
nò futurum, vt nec tuorum clientum, nec mortalium alius quispiam, pro-
niores ac ardentiores animo, TVÆ CELSITVDINI REGIÆ suam obsequen-
tiam vel deuoueat, vel exhibeat

REGIÆ CELSITVDINI TVÆ,

Deuotissimus

THEOPHILVS RAYNAVDVS
ex Societate IESV.

SVPLI